Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cipatum suę fidei subiugauit. dura persequentium corda con-
triuit. ut quasi confractę glebę non iam obduratę permanerent.
sed praecepta uerbi semina resolutę germinarent. Unde
recte nunc dicitur. Aut confringit glebas uallium post te. Ac si diceret.
Sic post me. quia postquam in te cuiuslibet elatę potestatis in-
gredior: non solum eam mihi subditam reddo. sed etiam ad conterendos
fidei hostes exerceo. ut potentes huius seculi metu formidinis
ligati. non solum ipsi in me credentes permaneant. sed per me
etiam alieni cordis duriciam belantes frangant. Hoc autem
quod de infidelibus diximus. in plerisque etiam qui fidei nomine
censentur uidemus. Multi namque in medio humilium fratrum
positi fidem uerbotenus tenent. sed dum elationis typum non
deserunt. dum quos possunt illatis uiolentiis premunt.
dum fructificantibus aliis ipsi nequaquam semina uerbi recipi-
unt. sed ab exortantis uoce aurem cordis auertunt.
isti quid aliud quam obduratę glebę in exaratis uallibus
iacent. qui eo deteriores sunt. quo nec ipsi humilitatis fructum
proferunt. et quod est deterius proferentes humiles premunt.
Ad hoc duricia dissoluenda nonnunquam sanctę ecclesię quia pro-
pria uirtute non sufficit. rinocerotis huius id est terreni prin-
cipis opitulationem querit. ut ipse supiacentes glebas
conterat. quas ecclesiarum humilitas quasi planities uallium
portat. Has itaque glebas rinoceros pede premit et com-
minuit. quia prauorum potentiumque duriciam cui ecclesiasti-
ca humilitas resistere non ualet. principalis religio ex
potestate dissoluit. Quod quia sola diuina uirtute agi-
tur: ut terreni regni culmina ad profectum regni cęlestis
inclinentur. recte nunc dicitur. Aut confringit glebas uallium
post te. Ut uero de suis uirtutibus beatus iob humilia senciat.
adhuc de mundi huius potestatibus sub rinocerotis nomi-

VIII. Qualiter rinoceros glebas pede premit. uel qualiter dominus fiduciam habebit in fortitudine rinocerotis.